

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Conradi Samvelis Schvrzfleischii Opera historica politica

Schurzfleisch, Konrad Samuel

Berolini, 1599 [i.e. 1699]

Controu. V. De Ottogaro Imperium recusante

urn:nbn:de:bsz:31-102564

CONTROV. V. De Ottogaro Imperium recusante.

Premislaus Ottogarus Boiemiae Rex oblatam conseqvendi Romanorum
Imperii occasionem imprudenter omisit.

Negligentis est praetermittere, qvod firmandae augendaeqve potentiae
expedit, ne erepta crescendi materia, et occasione neglecta, poenitendi cau-
sa relinqvatur, cum in parandis et retinendis imperii cautione opus sit, nec
nisi semel ibi peccare liceat, ubi error admissus emendari non potest.

§. II. Splendoris qvoqve ratio habenda est, cuius accessio saltem non
debet recusari, qvando auctoritatis et famae interest, cum viribus augeri opi-
nionem regnantium, in qvorum partibus, salva imperandi gloria, nihil des-
ideratur.

§. III. Nemine repugnante Ottogarus in fide et officio retinere potuiss-
et Austriam, Stiriam, Tirolim, siqvidem Imperium suscepisset, atqve eas
provincias ad dominii beneficiarii legem redegisset, cum, repudiata Marga-
retha, titulus uxorius non admitteretur, nec multo post a Rudolpho Caeia-
re ius caduci obtenderetur, et voluntate iudicioqve Principum comproba-
retur.

§. IV His rebus aemulationi Habsburgiorum praecidere occasionem,
et bello deinceps gerendo, civilibusqve dissidiis subtrahere materiam potu-
isset, si Rex, ut par erat, accuratori solertia consilium tam utile, qvam op-
portunum confecisset.

§. V. Exemplum Alphonsi X. ante oculos est, cui vitio datur, qvod mo-
ra inutili corrupisset fortunam: contra Petrus Aragonius praevertendum
ratus, regnum per bellum et pericula petuit, qvod Ottogarus sine labore, et
fine vitae honorisqve discrimine potuit adipisci.

§. VI. Dissensus his rationibus continetur, qvod tutius sit, firmam,
qvam amplam auctamqve rempublicam habere: deinde qvod turbidus
temporum status moderationem postulasset, et spem adeo conatumqve ex-
plendae huius cupiditatis fregisset. Tum qvod isto paecto regnum domesti-
cum atqve haereditarium, propter imperium externum, et in solo eligent-
ium arbitrio positum, facile in discrimen venire potuisset. Qvin et sic im-
pendia, et suntus ex domestico Boiemiae regno in externum, et successio-
ne haud continuandum converti oportuisset. Postremo rationes et mo-
menta Ordinum Boiemiae id dissidentium minime negligi, multo minus
sperni debuissent.

Ssssss

§. VII.

§. VII. Qvae lis ut dirimatur, omnino prudentia regendi spectanda est, qvae mensuram huius iudicij implet. Ottogarus negligenter omisit occasionem potiundi Imperii, quo fidem et amorem Germanorum sibi de vincire, regnumque alienis copiis opibusque firmare potuisset. qvod iam diu Austria non sine aemulorum invidia bene feliciterque usu probavit. Nam etsi regnum Boiemiae, per se satis auctum erat, tamen insigne quidam ad regni decus et gloriam pervenisset, roburque maius et firmamentum potentiae accessisset. Praeterea id fuisset utile malorum remedium, et Boiemis regnum clientelare possidentibus publice privatumque bene evenisset. Pollebat viribus Ottogarus, et potiori ratione imperium suscipere poterat, quam Rudolphus, Comes per se moli tantae impar. Sed Boiemorum timor inanis, et invidia mali exempli fuit, ac magnae deinceps regni huius conversioni prolufit, cum negligeret novum dignitatis et potentiae praesidium, qvod offerebatur. Eqvidem Ottogarus Carolum Andegavensem ad caudem Friderici Austrii Babenbergii exhortatus est, ne patrimonium absenti ereptum, reddituro deinceps restituere cogeretur. Qvare Deus, scelerum ulti, mulctavit postea Ottogarum, et consilia eius confudit pariter ac corruptit; Habsburgios autem nutu arbitrioque coelesti ad summam rerum capiendam perauipicato excitavit. *Vid. Venceslaus Hagecius Chron. Bohem. ann. 1271. et Ioannes Dubravius histor. Boemicae lib. XVII.*

CONTROV. VI. De electione Adolphi Nassavii.

Adolphus Nassavius prensando Imperio praeceps, et administrando non cautus fuit.

Adolpho qvidem veniebat in mentem Rudolphi Habsburgii, Comitis a tenui initio ad summam potentiam evecti, qvod facile eum movebat, ut ad spem similis fortunae erigeretur.

§. II. Principes Imperii praecipuos, qibus Caesarum eligendorum ius est, a filio Rudolphi Habsburgii, alieniores videbat, idque sibi prodesse indicabat.

§. III. Ius ei suffragii quaesitum est, quum Principum diligentium voluntates in eo designando et renunciando consentiebant.

§. IV. Rationes, et querelarum capita contra eum adducta nihil momenti habebant ad admendum ipsi Imperium, qvod rite electus creatusque esset. Solennia anno M CC XCII. peracta sunt Francofordiae ad Moenum.

§. V. Contra svaderi poterat, Imperium tantae molis excedere vires ipsius, cuius nervi, ab alienatis imperii vettigalibus, incisi essent: ad haec Comitem,